

Insulas Insululas et cetera premissa prefato modo Baroni de Baltimore et heredibus et assignatis suis ad solum et proprium opus et usum ipsius modo Baronis de Baltimore heredum et assignatorum suorum imperpetuum, tenendum de nobis heredibus et Successoribus nostris Regibus Anglie ut de Castro nostro de Windsore in Comitatu nostro Berk' in libero et communi socagio per fidelitatem tantum pro omnibus serviciis et non in capite nec per servicium militare Ac reddendo inde nobis heredibus et Successoribus nostris duas sagittas Indicas parcium illarum apud dictum Castrum de Windsore singulis Annis tradendas in die Martis in Septimana Pasche Aceciam quintam partem omnis metalli aurei et argenti Anglice of gould and silver Oare quod infra prefatos limites de tempore in tempus contigerit inveniri, ut vero predicta Regio sic a nobis concessa et descripta ceteris omnibus illius terre Regionibus prefulgeat et amplioribus titulis coretur Sciatis quod nos de ampliori gracia nostra certa sciencia et mero motu nostris dictam Regionem ac Insulas in provincia erigendas esse duximus prout eas ex plenitudine potestatis et prerogative nostre regie pro nobis heredibus et Successoribus nostris in Provinciam erigimus et incorporamus Eamque terram Marie Anglice Maryland nominamus et sic in futuro nominari volumus Et quoniam prefatum modo Baronem de Baltimore totius Provincie antedictae verum dominum et Proprietarium superius fecimus et ordinavimus Ulterius igitur sciatis quod nos pro nobis heredibus et successoribus nostris eidem modo Baroni (de cujus fide prudencia justitia et provida animi circumspeccione plurimum confidimus) et heredibus suis pro bono et felici dicte provincie regimine leges quascunque sive ad publicum ejusdem Provincie statum sive ad privatam singulorum utilitatem pertinentes juxta sanas discreciones suas de et cum Consilio assensu et approbacione liberorum hominum ejusdem provincie vel majoris partis eorundem vel eorum legatorum vel deputatorum quos ad leges condendas quum et quociens opus fuerit a prefato modo Barone de Baltimore ac heredibus suis ac in forma que illi vel illis melior esse videbitur convocari volumus condendi faciendi edendi et sub sigillo predicti modo Baronis de Baltimore ac heredum suorum promulgandi easque in omnes homines infra dictam Provinciam et limites ejusdem pro tempore existenti vel sub illius vel illorum regimine et potestate Terram Marie versus navigandos aut inde redeundos extra vel ad terram Anglie vel extra vel ad aliqua alia dominia nostra vel aliena ubilibet constitutos per mulctarum impositionem incarcerationem et aliam quamlibet coercionem etiamsi oporteat et delicti qualitas id exigerit per membrorum vel vite privacionem per se prefatum modo Baronem de Baltimore et heredes suos seu per deputatos locumtenentes Judices Justicia-

P. R. O.